

berg
18



16

1.

2.

3.

4.

5.

168

1.

2.

3.

4.

5.



13956

23

PRINCEPS
CLEMENS

41

1685, 5.

PRODROMO ORATORIO

Cum

PRO LOCO

In illustri & celebri cathe-
dra Juridica Marburgensi Anno

MDCLXXXV. 3. Septemb. more Majorum
disputaret, exhibitus

Ab

OTTONE PHILIPPO
ZAUNSCHLIFFERO,

Jcto Prof. Juris Ordin. & p. t. Syndico Univerf.



Marburgi Cattorum,

Typis & sumptibus JOH. HENRICI STOCKENII,
MDCLXXXVI.

41.

PRINCIPES
CLEMENTIS

PROBROMO ORATORIO

PROLOGO

In illis & celebri catho-

drae Juridicae Marburgensis Anno

MDCI XXXV. 3. Septemb. in ore Majorum
disputat. publicis

At

OTTO NE PHILIPPO
JANNSCHNITZERO

Rektor der Univ. & p. 2. Indico Univ. etc.

in Marburg

Dr. & Jurid. p. 1. Indico Univ. etc.

MDCI XXXVI

At





*Magnifice Domine Rector! Excellentissimi Domini
Professores & Collegæ! Hospites quotquot adestis
Honorandi, Tuque flos Juventutis Spes Patriæ,
atque Parentum.*



I ulla est querela, in Eruditorum vel ore, vel animis frequens, sanè illa est frequentissima, quod sæpè literatissimum caput, in sparta suis meritis debita impetranda sit infelicius; e contra, invidâ fortunæ novercantis malitia, *ut denarius in cloacam*, sic pinguiora officia, in levioris literaturæ homuncionem Attalicis conditionibus cadant: &, quasi de onere aliquo frumentia vehendo ageretur, majoris momenti sparta, ut plurimum, *afino clitellario*, imponatur. Atque, ut talem querelam sæpè veram scimus, sic sanè justam eam esse & negamus & pernegamus. Præterquam enim, quod sic impio ausu quis ad tribunal, divinæ providentiæ placita vocare non erubescat; etiam plurima ejus rei & solatia & causæ sunt, quibus infelix à jugo hoc imprudentiùs jactando absterreri potest. Commune fatum est, virtutes ut appareant diu luctari, sed tandem (ut sol solet post discussas nebulas) tantò majori luce erumpere. Accipio conditionem & comparatio-

A 2

nem

nem Tuam, quisquis es, infeliciter virtuose! admitto, dummodò non solum ad eos respicias, qui te antecedunt, sed &, tanquam Janus bifrons, ad eos qui à tergo tuo sequuntur; ne tanta sit importunitas tua, ut, quamvis multa à Deo præ aliis acceperis, tamen injuriæ loco tibi sit, plura, ut alios, accipere potuisse, quod ipsum facit, ut, dum cogitas, illi plus, illi prius, felicitatem obtigisse, nullius causam agas, contra omnes tibi soli faveas. Alium tibi prætulit fortuna? & te multis: at non est tibi par virtutibus? causa tua est, judicare in ea non potes; Sapientior ille Spartanus, qui nobilitate & sanctitate præstans, in petitione tamen magistratûs victus, maximæ sibi lætitiæ esse prædicavit, quod aliquos patria sua se meliores viros haberet. Si indignior promotus ante te est, habes quod tibi gratuleris, de tuâ virtute, quæ sibi pulcherrima merces est, nec ullum pretium extra se habet: si dignior, gratuleris ei: cur te non vincat honore, qui vincit virtute? Et quid? forte ille felicior, extrema per omnia vivit: & de laqueo & lacu cogitat; tibi unde vivas satis est: si æque pauperes, cogita socium calamitatis hunc Te habuisse; plurimos adhuc habere. Fortè, tu per saltum Te vis promoveri, quasi ad summum honorem semper gloria celeritatis accederet, quod alter, qui scivit *dignitatem faciliùs crescere quàm incipere*, non expectavit,

ctavit, atque ita te cunctantem, per ambages eundo vicit. Quin! Dii, ut quidam Principes, beneficii sui commendationem ex difficultate captant, gratioresque accipientibus honores arbitrantur, si illos prius desperatio & tædium, & similis repulsæ mora in notam quandam pudoremque vertissent. Et experimento deprehensum est, quod honor quibus tardiùs venit, eos quos ex improvise amplectitur, semper & blandius habeat, & honestius tractet. Ut jam non dicam, beneficii loco esse, quod divina benignitate imparatiorem, statim in aciem non producere sed potius præmonere voluerit, ut diu penitiùs disceres, quæ postea majoribus auspiciis præcipere deberes. Voluit etiam fortuna, expectari malens quam regi, vires tuas, tuamque patientiam experiri: cum enim secunda omnia merearis, manifestum est, si quid adversi cadat, tuis laudibus, tisque virtutibus materiem campumque prosterni, cum secunda felices, adversa magnos probent.

Hæc & hujus monetæ similia, dum undis civilibus merfus advocatus, mecum ante triennium in patria Hanovia meditabar, *Auditores*, nihil minus cogitantem divinus favor clementer respexit, dum à Serenissimo Potentissimo Hassorum Principe, CAROLO PRIMO & MAGNO, Domino nostro Gratosissimo, vocationem honorificentissimam

simam ad Professionem & Syndicatum prius acci-
pio, quàm venturam scio; ut adeò tarditas (si quâ
tamen in nondum trigefimi anni homine esse po-
terat) officii amplitudine & splendore satis super-
que sit compensata, egoque gemello modò ut Aa-
ronis virga, una nocte virens, florens & fructus fe-
rens, factus. Felicissimum me ab eo tempore & di-
xi & credidi, cui Tanti Principis devotissimum ser-
vum, tam amplissimi Ordinis tribulem, &, quod
melle dulcius, Vestrum, Magnifice! & Excenllen-
tissimi Viri, aut clientem sincerum, aut fidum ami-
cum esse licuit: sicque felicitati meæ nihil defuit,
quam & perpetuitas ejus & moderatio. Et qui-
evissem ego in tali felicitate, quæ quondam impu-
dens meum votum erat, si fortunæ quasi æstus
voluisset quiescere: sed tam pertinax illa nunc est in
me ornando, quàm ante in persequendo: ut cum
Comico loquar, beneficia beneficiis tegit ne per-
pluant, & tantum non quotannis novæ gratulati-
ones prioribus subtexuntur, adeò ut plerumque in-
tra me ipsum volvam, Ubi est animus ille modicis
contentus? inter nobiles & longa decora præfe-
rentes novitas mea ita enituit, ut & celeberrimæ
Universitatis proceribus annumeretur.

Nolite à me expectare *Auditores Honor!* ut
hæc ipsa notabilia magnæ felicitatis genera, quasi
per

per averfionem ostenfa, specialius occasione hac deducam; id enim nec temporis, nec facundiæ meæ anguftia nec ambitionis fufpicio vitanda permittunt: atque in uno animus defixus hæret, unum omnem aciem meam fulgore perstringit, illa fcilicet edecumata Sereniffimi Principis in me clementia: ut reliqua, aut alterius Orationis, aut nimis privata poft habeam, & huic uni altaria mea fumare velim. Hoc ftadium, hæc oratio, præludii vice, nunc quidem breviter decurret: hoc molimen, hoc opus erit, arduum illud quidem nec torrentiffimi Oratoris humeris par onus, & audaciùs quàm excufabiliùs fufceptum, nifi in magnis & voluiffe fat effet. Quin! non tam ipfam illam diffusiffimam Virtutem pro meritis exhibere, quàm aliquali ejus contemplatione nos omnes ad debitam gratitudinem excitare animus eft; ut non majestate orationis, fed pietatis laude fe fit commendaturum præloquium meum, ad quod Vos! tantò lubentiùs benevolas aures præbebitis, quanto certius eft, nullum Veftrum effe, qui non Sereniffimi Noftri Gratiam maximam fenferit, hæc occasione ruminandam.

Ex figmento Poëtarum. *Aud.* Charites foro-
rio vinculo inter fe cohærebant: fic & virtutum
chorus indiffolubili nexu copulatus eft, præfertim
in Clementiffimo Principe noftro, qui omnibus
nume-

numeris gradibusque perfecti Herois est exemplar;
 ut adeò non inopia sit, quod impræsentiarum unã
 Ejus virtutem consideremus, sed libera electio, hoc
 saltem nomine culpanda, quod, qui minori de præ-
 dicandæ par non sim, in maxima ingenii vires peri-
 clitari voluerim. In *Maxima* dico; nonne enim il-
 la Virtus micat inter omnes, velut inter ignes luna
 minores? nonne illa quasi cum ipso homine est na-
 ta? Nemo est qui nesciat, *Auditores!* hoc hominis
 officium esse, ut homini non lupus sit sed Deus;
 cum & ferarum consuetudo, & naturæ dictamen,
 & legum placita, & præsertim fidei Christianæ sti-
 mulus id jubeat. Eundem Deum, eandem nascenti
 & moriendi sortem, eadem elementa, eandem
 spem habemus. Illa rationis expertia, & à nobis
 immanitatis crimine damnata, leones & ursæ ab-
 stinent suis, tuta est etiam inter feras similitudo:
 & juxta illud Poetæ - *parcit Cognatis maculis similis
 fera, quando leoni. Fortior eripuit vitam leo, quo ne-
 more unquam Exspiravit aper majoris dentibus apri:
 Indica tigris agit rabida cum tigride pacem, Perpetuam:
 sævis inter se convenit urfis:* quantò magis homo ho-
 mini non debet nocere sed prodesse? A sino sub gra-
 vitate oneris succumbenti, promptissimè succurren-
 dum Divinæ Leges jubent: quantò magis homini
 tuenda est & quærenda hominis salus? Quemad-
 modum

modum verò, hoc ipsum uniuscujusque nominis munus est: Sic imprimis illud est magistratus, & Principis, qui ex æquo homo est, ex superiori sol, imò Deus; quæ, ceu publica bona, in omnes sine fastidioso delectu favoris & benevolentiaë radios vibrant, & sæpè necessitati & fortunaë intercedunt. Unde vox, non tam *Ciceronis* quam oraculi est, nullam virtutem clementiã esse excelsiorem & quæ magis Principem Deo similem, cunctisq; charum reddat. gemina scilicet *Senecæ* verbis, quod nemo aliquid excogitare possit magis decorum regenti quam clementiam. Atque nullius tantum est flumen ingenii, tanta dicendi aut scribendi vis, tantaq; copia, quæ ejus præstantiam, non dicam exornare sed enarrare possit. Magna & Principe dignissima virtus est fortitudo, ut poëta ausit dicere, *res gerere & captos ostendere civibus hostes attingere ipsum Jovis solium & cœlestia tentare*: sed tamen multum ex bellicis laudibus decerpunt milites, decerpit fortuna: at clementiaë laudis socium Princeps habet neminem, totum hoc quantumcunque est, (quòd certe maximum est) totum est, inquam, ipsius: nihil sibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma vendicat, quin etiam illa imperiosa rerum humanarum domina, fortuna, in istius se gloriaë societatem non offert, Principi cedit totamque ejus

B

esse

esse fatetur. Fortitudo cum multorum periculo non potest non esse conjuncta, & sepe plus fellis habet quam mellis, plus sanguinis quam gloriæ, plus spei quam successus. At clementia, undiquaque læta efflorescit, non nisi ridentem vultum habet, non nisi munificas manus. Aliæ virtutes, hujus vel illius aut fortis, aut ætatis, aut statûs, aut temporis rationi conveniunt: clementia & pacis & belli tempore, in primis & imis sese exerit. Et quid magis Principem & decet & decorat quam illa virtus? Ille enim caput est, subditi membra: & quis verò in sua membra non est benevolus? Ille pater omnium &, ex antiqua formula, *Pater Patriæ*, appellatur, ut quod patris, hoc & Principis officium esse doceatur. Alia cognomina Principum honori data sunt: *Magnos & Felices & Augustos* dicimus, & ambitiosæ majestati, quicquid possumus, titulorum congerimus, illis hoc tribuentes: *Patrem Patriæ* appellamus Principem, ut sciret datam sibi potestatem, quam aliam? nisi *Patriam*, temperatissimam scilicet, liberis consulentem suaque post illos ponentem. Natura ipsa, exserere se in parvis, & ingentium rerum documenta minima agere solita, Principem clementem esse jubet: iracundissimæ & magis quam pro captu corporis pugnaces sunt apes: rex ipse sine omni aculeo est: telum ei detractum, & ira inermis relicta, ut so-
lam

lam sibi benignitatem commendatam sciat. Quid ergo? nonne & talis erit Princeps? quid injustius quam ut Eum plusquam ferina rabies, sanguine, vulneribus, injuriâ gaudens, occupet, & abjecto homine, non dicam animal rapax fiat, sed naturæ ipsius monstrosissimum monstrum, non exiens à sua solitudine, nisi ut solitudinem faciat, occidat, sæviat, catenarum sono delectetur, aspectu suo terreat ac fuget, quæ ipsa vita esset, si in nos leones & ursi regnarent.

Atque eo formosior ac magnificentior clementia in Principe, quo major est licentia sæviendi? fortior est si se Princeps, quam si fortissima mœnia vincat: & gloriosior, si vim suam continet, multos iræ alienæ eripit, neminem suæ impendit; securitatemque securitate mutua paciscitur. Denique si Princeps, ut vulgus hominum, utilitate movebitur, quæ virtus erit utilior clementia? quæ dulcior? & quid enim optabilius est, quam Rectorem vivere optantibus cunctis & vota, non sub custode, nuncupantibus? si paulum ejus valetudo titubavit, non spem hominum excitari, sed metum: nihil esse cuiquam tam pretiosum, quod non salute Domini sui commutatum velit. Quod ipsum inexpugnabile est munimentum, satellitium nullo alio egens satellitio; sicutque omnibus manibus excutiens.

Extra oleas vagari videor *Auditores!* qui, cū Principem nostrum clementem, in augusto hoc theatro sistere voluerim, velis nunc verbis, tanquā metaphysicus *ab hic* & nunc abstraham, & in summas clementiæ laudes excurram: sed, ne quis erret, tantò major laus Ejus erit, quantò major illa virtus, quantòque gloriosior: ut adeò ne latum quidem unguem à proposito discesserim. Hæc est ergo illa virtus, inter Principis nostri Serenissimi virtutes, ut adamas pretiosissimus inter gemmas lucens. Posses, *Auditores!* excelsam ejus clementiam, erga Ecclesiam, erga Universitatem, erga Ministros, erga Profelytos, erga nos omnes, ut brevior sim, erga cunctos subditos, summos & infimos, *Vobis* ob oculos ponere, & stupentes ejus & magnitudine & varietate reddere; sed hoc ut ornatè fiat nō est in facili, nec hujus est aut conventūs aut temporis: satq; nunc pro aliis non postulo, aliis nunc non vaco, sed meam ipsius causam, ut maximā veneratione, gratitudineque; sic minimā (ut soleo trivialis orator) eloquentiā orare volo. Et quī valeam omnes Gratia species exornare, quas non potis sum enarrare? Nisi sacrilegum jus civile eum diceret, qui dubitat an dignus sit, quem talem putat Princeps, dicerem indignissimum me, clementissimis literis è patria Hanoviā evocatum. Auget beneficii Principalis magnitudinem,

nem, quæ videbatur augeri non posse, quod Serenitas Ejus, planè ex Deorum more, professionem humillimè desideranti, Syndicatum sua sponte adjecerit; homini dicerem peregrino, nisi & Serenissimus Noster, toti generi humano, se parentem profiteretur; & ego, viro bono omne solum patriam esse scirem. Levidensem tractatum, in devotissimorum obsequiorum, & gratitudinis vel minimum testimonium, farre scilicet & fitilla religiosus, ad pedes Ser. Principis audax posui? Gratosissimo vultu non solum est exceptus, sed & literis, nil nisi summos favores spirantibus, & tantò Principe digno munere sum ornatus & auctus, cui satis superque clementiæ fuisset, si vel unicum approbationis calculum habuissem. Nec hoc sine stetit clementia: sed adhuc toti moli, quasi coronidem Serenissimus imposuit, dum ardua Juris provincia, antè exordinaria, nunc ordinaria, clementissimè in me est collata: ut a deo Potentissimo non minùs ac Clementissimo Principi animam debeam & necessariò ingratus mori cogar. Non possum ergo quin exclamem! O summam &, dum spiritus hos regit artus, deprædicandam clementiam! Ô Principem, qui, ut illud generis humani delictum, ut neminè, sic nec meam tenuitatem unquam, nisi lætissimam à folio suo dimisit! Ô ineffabilem Gratiam, non sim.

plicem sed multiplicem erga hominem, utinam tam dignum quam devotum! ut meritò ex impuro Neronis ore religiosius assumam & sanctius ac ille Præceptor Senecæ, promittam, tanta mihi munera dum vita suppetet, æterna futura. A Claudio Imp. beneficium ita erat accipiendum ut à fortuna, quam scires statim malam fieri posse. Nihil tale in Serenissimo Nostro mihi metuendum fuit, tam constante quam clemente. Refertur scitum Crispi Passieni dictū, malle se ab Augusto *judicium* à Claudio *beneficium*. Ego à Principe & Prudentissimo & Munificentissimo utrumque felix tuli. *Benignitas* ingens fuit tot munera in me, pleno quasi modio intra biennium conferre, quod sine gravi *judicio* factum, piaculum esset cogitare, ut ut fortè illud non in meis meritis, sed bona spe, quæ de mea juvenili ætate concepta, pedem figat. Mihi sanè, non nisi una defensio occurrit, quod Serenitatis Suæ muneribus obniti non debui, dum video, utrumque mensuram implevisse, & Ser. Principem, quantum obsequioso clienti tribuere possit, & me, quantum subditus humilimus à Principe capere.

Plura meditatus eram *Auditores!* de immensa Serenissimi CAROLI in me clementia, sed quò magis eā considero, eò magis deprehendo, me eloquentiæ potiùs meæ curtissimam suppellectilem; quam

quàm ejus magnitudinem propositurum: indeque prudentiùs erit, tacitâ pietate, & venerabundo stupore eam admirari, & adorare, quàm infelici conatu, ulteriori laudis insufficientiâ, me deridendum, in re impossibili propinare: præsertim cum aliud sit agendum. Itaque in tam inextricabili labyrintho, in tam diffuso æquore ad Dædaleum votorum filum, ad sacram precum anchoram confugio, & quod Oratori, quod levidensis actionis gratiarum ponderi deest, sinceritate desiderii expleo. Dii nos hujus exoptatissimæ gratulationis compotes faciant, ut diu in humanis agat Delicium nostrum; effectoque & intermortuo ad pietatem, justitiam, & studia ævo promptiùs subveniat. Cuncta ei prospera, *id est*, digna seculo suo, & per Ipsum toti Hassiæ contingant, cujus tutela & securitas sacro huic Capiti innixa est. Crescat cum crescentibus annis, crescens felicitas & vel felicissimum Trajanum, tantùm felicitate vincat Princeps, quantum Christianâ fide. Vivat, vigeat, floreat Augusta: & sanum maritum sana abavum salutari audiat. Principes Juventutis, Heroica Patris & Majorum vestigia premant, & concepta animo scintillâ, ad parem immortalis famæ laudem, quasi Miltiadis trophæis excitentur. Hoc unum denique, ut omnium subditorum, sic & meum imprimis devotissimum votum

tum est, verbis breve, sed sensu amplissimum: DEUS
Serenissimum Principem, Serenissimæ Conjugi,
Principibus Juventutis, Imperio Romano, Hassiæ,
Ecclesiæ, Academiae meis, mihi, bonis deniq; omni-
bus, diutissimè conservet A M E N.

Cæterum ea ipsa quam jam prædicavimus Cle-
mentia Seren. Principis *hæc otia nobis fecit*, ut pro lo-
co mihi jam sit in cathedra Juridica disputandum,
quod, raro & forte inaudito apud Nos, exemplo à
tue intra annum bis est factum, scilicet hoc ipso
tempore ante annum in Philosophia & nunc in Ju-
risprudentia, vera scilicet & non simulata Philo-
sophia. Ad rem ergò præviè implorato
Divino auxilio &c.







X 261.5939

1017







13956

23

PRINCEPS CLEMENS

41

1685, 5.

PRODROMO ORATORIO

Cum

PRO LOCO

In illustri & celebri cathedra
Juridica Marburgensi Anno
MDCLXXXV. 3. Septemb. more Majorum
disputaret, exhibitus

Ab

OTTONE PHILIPPO ZAUNSCHLIFFERO,

JCto Prof. Juris Ordin. & p. t. Syndico Univerf.



Marburgi Cattorum,

Typis & sumptibus JOH. HENRICI STOCKENII,
M D C L X X V I.

41.

